

XIV. (55) Eudo Dux hac tempestate moritur: quo mortuo (56) Carlus Aquitaniae regionem absque bello recipit.

XV. (57) Carlus navali eversione Frefonum Regnum penetravit. Interfectis Frefonibus Popponem Ducem interimit, lucos & fana subvertit; victor cum praeda magna revertitur.

XVI. (58) Sarraceni collecta manu valida (59) Avinionem urbem capiunt, regiones circumquaque vastantes.

XVII. (60) Adversus quos Carlus arma corripens ad praedictam urbem adcurrit; Civitas obsidione vallata, machinis instructis capitur, magnaque strages hostium efficitur.

XVIII. (61) Carlus Gothorum fines penetravit, Narbonam obsedit, Rege Sarraceno- rum (62) Athima intus incluso.

XIX. (63) Sarraceni in Hispania, qui commorabantur in vicinia, haec audientes, armati cum Rege suo occurrunt.

XX. (64) Contra quos Carlus dimicans, Regem cum populo suo interficit. (65) Qui gladium evadere poterant, ascendentes, navibus in mare demersi sunt.

XXI. (66) Francis super eos cum navibus & jaculis infestantibus, sicque Franci de hostibus triumphantes, praedam magnam & captivorum multitudinem capiunt.

XXII. (67) Regionem Gothicam, urbesque famosissimas (68) Nemausum (69) Agatem, & reliquas capiunt, destructis mœniis usque ad fundamenta.

XXIII. (70) Carlus tributarios fecit Saxones.

XXIV. (71) Carlus regionem Provinciae ingrediens, fugato (72) Ducem Auronto.

XXV. (73) Qui Sarracenos per dolum jam dudum invitaverat, (74) cunctam Provinciam & maritima illa loca suae ditioni subegit.

XXVI. (75) Carlus post Gothos superatos, Saxones & Frefones subactos, Sarracenos expulsos, Provinciales receptos, Regnum Francorum feliciter possidens, (76) moritur in villa publica (77) Wermbria.

XXVII. (78) Anno DCCXXI. Incarnationis Dominicæ, post quem duo liberi ejus regnant

(55) Apud Pithœum & Freherum incipiunt hic acta anni 728.

(56) Nomen hoc in hisce Annalibus promiscuè scribitur per C. & K.

(57) Apud Pithœum & Freher. incipit A. C. 729.

(58) A. C. 730. apud Pithœum & Freherum.

(59) Avinionem pro Avenionem.

(60) A. C. 731. apud Pithœum & Freherum.

(61) A. C. 732. apud Pithœum & Freherum.

(62) Apud Pithœum legitur Athirva.

(63) A. C. 733. apud Pithœum & Freherum.

(64) A. C. 733. apud Pithœum & Freherum.

(65) A. C. 734. apud Pithœum & Freherum.

(66) A. C. 735. apud Pith. & Freher.

(67) A. C. 736. apud Pith. & Freher.

(68) Ita ibi scripta legitur prima syllaba hujus nominis per E.

(69) Vide Abrahami Ortelii Thefaurum Geographicum v. Agatha.

(70) A. C. 737. apud Pithœum & Freher.

(71) A. C. 738. apud Pithœum & Freher.

(72) Fugato Ducem pro fugato Duce; quæ ratio loquendi Latino-barbata passim occurrit in hisce Annalibus. Aurontum autem, sive Auruntum eadem est Urbs, quæ alias Arausio sive Orange dicitur. Apud Pith. & Freher. pro fugato Duce Provincia Auronto, hoc est Arausione, mendosè legitur fugato Duce Maurorum, falsitatem enim hujus lectionis etiam sine adminiculo Codicis MSti Casarei satis manifestè indicant sequentia verba: Qui dudum Sarracenos per dolum invitaverat. Rectè videlicet

annos XXVII. Carlmannus cum fratre Pippino regnavit annos VII.

I. (79) Carlmannus & Pippinus Hunoldum res novas molientes obprimunt, & in ipso itinere Regnum inter se, quid quisque haberet dividunt.

II. (80) Per idem tempus rebellante Theobaldo Carlmannus vastavit Alamanniam.

III. (81) Carlmannus & Pippinus in Bajoariam exercitum ducunt adversus (82) Huodilonem.

IV. (83) Carlmannus adversus Saxones dimicat, & castrum (84) Onseburg capit.

V. (85) Bonifacius vir Sanctus, de genere Anglorum, Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ, Mogontiacæ Civitatis Episcopus ordinatur, qui prædicatione sua multos Thuringeorum, Hessorum, nec non & Austrasiorum ad Fidem rectam & Christianam Religionem, à qua diu aberraverant, convertit; sed & Monasteria Monachorum ac Virginum primus in partibus Austræ exorsus est, ipse in castris Wirzburg Sedem Episcopalem constituens, annuente Carlmanno, & auctoritate Apostolici Papæ.

VI. (86) Burghardus collega Bonifacii Wirzburgæ ordinatur Episcopus; Willibaldus in Eichfeti Episcopus constituitur.

VII. (87) Carlmannus regnum temporale pro aeterno regno despiciens, fratri regnum derelinquit, & Romam ad limina Beatorum Apostolorum devotus pervenit, ibique tonsoratus, religionis habitum suscepit, & in (88) Serapte monte Monasterium ædificavit, & non post multum in Monasterio Sancti Benedicti (89) Monachus efficitur. (90) Gripho frater Pippini in Saxoniam aufugit. Pippinus, qui jam per annos VII. regnaverat, regnat postea annos XX.

VIII. (91) Pippinus in Saxoniam per Thuringeam ingreditur. Saxones cum Griphonem adunati, super fluvium (92) Hobacar in loco, qui dicitur Horoheim, Griphonem cum Pippino pacificare cupiunt. Sororem Pippini cum Thassilone filio parvulo adquisivit.

IX. (93) Idem Gripho non credens se Saxonibus, neque Francis, de Saxonia Bajoariam

hinc colligitur præcedentibus verbis non de Duce aliquo Maurorum, qui sine dubio ipse Sarracenus fuisse, sed de perfido quodam Christiano Duce Arausionensi actum esse.

(73) A. C. 738. apud Pith. & Freher.

(74) A. C. 739. apud Pith. & Freher.

(75) A. C. 740. apud Pith. & Freher.

(76) A. C. 741. apud Pith. & Freher.

(77) Apud Pith. & Freher. legitur *moritur Parisiis*.

(78) A. C. 741. apud Pith. & Freher.

(79) A. C. 742. apud Pith. & Freher.

(80) A. C. 742. apud Pith. & Freher.

(81) A. C. 743. apud Pith. & Freher.

(82) Apud Pith. & Freher. legitur *Odilonem*.

(83) A. C. 745. apud Pith. & Freher.

(84) Apud Pith. & Freher. legitur *Onseburg*.

(85) A. C. 746. apud Freher. In Pithœana autem editione omnia hæc, quæ de S. Bonifacio & institutis ab eo Episcopatus VVirzburgensis & Eichstædensis narrantur, desunt.

(86) A. C. 746. apud Freherum.

(87) A. C. 747. apud Pith. & Freher.

(88) *Serapte pro Soracte*. Est autem Soractes sive Soractis mons Falificorum in Hetruria apud Tiberim, de quo Horatius lib. 1. carmin. Od. 9. canit. *Vides ut alta stat nive candidum Soracte*. In Adonis Viennensis Chron. corruptè nominatur *Sarepta*.

(89) In monte Casino.

(90) A. C. 748. apud Pith. & Freher.

(91) A. C. 748. apud Pith. & Freher.

(92) Apud Pith. & Freher. legitur *Obacra*.

(93) A. C. 748. apud Pith. & Freher.